



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

7. Illa prima minor præcipua hujus secundi principalis argumenti efficacius probatur scilicet quod per existentiam distinguatur essentia actualis ab essentia possibili seu à possibilitate quo amplius ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SUBSECTIO VII.

Illa prima minor precipua huius secundi principalis argumenti efficacius probatur; scilicet quod per existentiam distinguatur essentia actualis ab essentia possibili, seu à possibilitate, quo amplius confirmantur dicta.

140 **Q**uia per illud distinguitur essentia actualis ab essentia possibili, siue à possibilitate per quod constituitur essentia in esse entis simpliciter, sed per existentiam est huiusmodi: ergo essentia actualis per existentiam distinguitur à possibilitate seu ab essentia possibili.

141 Maior est expressa sententia Diui Thomæ 1. parte, quæst. 5. art. 1. ad primum, ubi sic ait: Secundum hoc aliquid dicitur simpliciter ens secundum quod primo decernitur ab eo quod est in potentia tantum, ubi Angelicus Doctor expresse asserit rationem essendi ens simpliciter esse rationem, quia essentia rei distinguitur ab ente in potentia; ratio autem euidenter hoc conuincit, quia possibilitas est ens tantum secundum quid & minime ens simpliciter, ut optime docuit ipse Diuus Thomas 3. parte quæst. 10. art. 2. in corpore ibi: Dupliciter dicitur aliquid ens vno modo simpliciter, quia scilicet est ens actu: alio modo secundum quid, quia est ens in potentia, quod explicans Caietanus, sic ait. Quæ sunt in potentia non sunt, & sicut excluduntur à numero entium, ita excluduntur à numero omnium, sed per illud distinguitur aliquid ab alio per quod non est illud formaliter & realiter à quo distinguitur, atqui essentia actualis in quantum talis & in quantum non est ens secundum quid, sed ens simpliciter constituitur in non esse possibilis pure quod non est ens simpliciter sed secundum quid, (ut diximus:) ergo per illud distinguitur essentia actualis à possibili pure per quod constituitur in esse entis simpliciter. Minor sic probatur ex eodem Diuo Thomæ ibidem his verbis: Nostram sententiam proferentis, nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam, secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum: hoc autem est esse substantiale rei vniuersalisque; unde per suum esse substantiale dicitur vniuersale quodque ens simpliciter; ubi Beatus Thomas duos asserit. Primum ens proprie esse, quod est in actu: alterum omne ens simpliciter constitui in esse talis per suum esse substantiale quod est ipsa actualitas. Itaque actualitas in sententia Diui Thomæ & esse substantiale alicuius rei sunt idem formaliter, atqui in sententia Diui Thomæ idem sunt actu esse, seu esse & existere: ergo in sententia Diui Thomæ essentia constituitur in esse entis simpliciter per existentiam. Minor hæc sic probatur ex eodem Diuo Thomæ: prima parte, quæst. 4. art. 1. ad secundum, ubi sic ait: ipsum est esse perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia ut actus, nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est, unde ipsum esse est actualitas omnium rerum quod est existere, quid clarius? quod etiam patet clarissime in sententia Diui Augustini tom. 5. libro 12. de ciuitate Dei, capite 10. his verbis. Sicut ab eo quod est sapere vocatur sapientia, itaque ex Augustino essentia dicitur ab esse & esse est existere, ut ipse Augustinus ait: libro 8. Enchyrid. ubi sic ait. Essentia ab esse & esse ac existere ita sumuntur ut sint prorsus idem & non plura distincta: sumit ergo Sanct. Augustin. existentiam & esse simpliciter synonyme, quod etiam apud omnes eodem modo sumitur, ut patet ex Ciceronis epist. 15. ibi: Erit qui intercedat, deinde alius

existet, qui impedit: ergo sunt synonyma esse & existere, ut exponit Calepinus verbo *existere*, cuius synonyma ponit *appareo*, *prodeo*, *exorior*, Hispanice *estar*, *ser*, *appareo*. Ergo res per existentiam est ens simpliciter.

Item quia inter possibile & actuale existens nullum datur medium, ut probatum manet supra: atqui possibile est ens secundum quid, & minime est ens simpliciter ut his verbis docet Aristoteles 9. metaph. cap. 3. Non entium enim quædam potentia sunt, non autem sunt quoniam enelechiam (id est) actu non sunt. Vbi Aristotelis inter non entia constituit ea, quæ cum possint existere non existunt, & ratio ob quam dicit ea non entia, & non esse est quia actu non sunt, id est actu non existunt; ut docet expresse Diuus Thomas 1. part. quæst. 5. art. 1. ad primum. Et sanctus Anselmus in Monologio, cap. 3. supra adductus, deinde quia sicut qui potest currere non currit simpliciter, & qui in potentia videt Deum seu possibiliter non videt ipsum simpliciter, sed secundum quid cum illo addito id est in potentia, alias videns Deum non videret eum simpliciter ipsum simul, cum simul habeat potentiam ad vtrumque, imò qui est in hac vita mortali esset beatus simul & damnatus simul simpliciter, quia habet potentiam ad vtrumque: item quia ipsa existentia in potentia vel possibilis, licet habeat essentiam existentiam possibilis & retineat conceptus quidditativos quibus in suo esse constituitur, v.g. existentia Pauli, & distinguitur tam ab essentia aliarum rerum, quam ab existentia earundem, nihilominus non est simpliciter existentia: ergo similiter essentia & ens in potentia seu possibile non est simpliciter ens, quia non est maior ratio huius quam aliorum, cum sint æqualia in eadem ratione formalitatis potentialitatis.

Quod autem existentia in potentia non sit talis simpliciter, patet ex fide catholica, ex qua certum est nullam rem præter Deum ab æterno existere aut habere existentiam simpliciter, & nihilominus constat ab æterno dari creaturas possibles, quas possit Deus creare in tempore, & eis tribuere existentiam quia habent potentiam ad existendum. Præterea quia si ab æterno Paulus habuit essentiam & existentiam simpliciter ex eo quod sit possibilis existere, & sit in potentia ad existendum sine dubio à se, & independentem à Deo erit ens simpliciter & simpliciter existens, quia independentem à Deo, ac proinde à se habet possibilitatem ad existendum; ac proinde absolute erit Deus, & non creatura, quæ sunt absurda & hæretica pronuntiata: ergo existentia possibilis non est simpliciter talis usque dum producat & fiat extra causas, sicut v. g. Petrus potest esse Rex, & habet potentiam ad regnandum, & Ioannes potest habere lumen gloriæ ad videndum Deum, & sic potest videre ipsum, imò tu qui nunc non es summus Pontifex potes eligi in summum Pontificem & gubernare Ecclesiam totam, & ex eo solum quod actu non es electus neque es actu Rex non diceris simpliciter beatus, simpliciter Rex, simpliciter Pontifex, tandem quia etiam habet potentiam ut hæreses profectus & hæreticus sis & comburaris, & nihilominus non potes dici nunc hæreticus simpliciter, nec combustus, quia sola potentia sine actu producta illius non dicitur simpliciter talis: ergo existentia solum in potentia, ac proinde solum possibilis non potest dici actu simpliciter existentia, dum non sit producta à Deo actu: ergo similiter etiam ens non est tale simpliciter ex eo solum quod sit in potentia usque dum producat & existat.

Tunc sic ens, quod actu existit & ex eo quod actu existat, est ens simpliciter: ergo per existentiam constituitur in esse entis simpliciter. Hæc prima propositio

hic demonstratur, quia de Petro aliquando verificatur esse ens simpliciter, sed non verificatur de Petro in potentia seu possibili, nec de Petro futuro: ergo de Petro actu existente: ergo per existentiam constituitur res in esse entis simpliciter, ac proinde id quod actu existit, est ens simpliciter ex eo praecise quod existat: deinde vnio se ipsa seclusa existentia distincta se est ratio vniendi simpliciter & denominat simpliciter vnium, quia entitas seu formalitas, distincta ab vnione non pertinet ad essentiam vnionis nec vniti; item amor & odium se ipsis dicunt fundamentum simpliciter oppositionis, quae est relatio actualis: hoc autem habent de nouo essentiae: ergo haec vt distinctae ab aliis existentis sunt entia essentialiter transmutata ex potentialitate sui ad actualitatem sui distinctam ab actualitate existentiae, nec est sicut calidum quod tale dicitur a calore, quia subiectum non habet denominationem calidi a sua quidditate intrinseca, sed potius habet illam extra essentiam, nec calor constituit subiectum in suo esse, sed accidentarie perficit illud; amor autem quidditativae transmutatur, sicut existentia ipsa ab esse secundum quid ad esse simpliciter, ita vt per ipsam existentiam, & ex vi conceptionis existentiae tribuatur ei esse simpliciter quod antea non habebat; vnde ipsa existentia constituit simpliciter ens quod ante illam erat tantum ens secundum quid.

145 Declaratur, & vrgetur amplius, quia supponamus dari materiam primam Antichristi actu existentem, item formam seu animam rationalem ipsius actu existentem, & vltimam dispositionem materiae primae ad vnionem cum anima rationali, & quod vnio non producat a Deo hoc supposito, non potest dici Antichristus esse simpliciter, & nihilominus existit materia vltimo disposita, similiter existit anima rationalis, ite est actu possibilis vnio ratione cuius potest existere, & solum quia illa vnio actu non existit, non denominat partes vnitas simpliciter, quas sine dubio denominaret tales ex eo solum quod actu existeret inter materiam, & formam: ergo quia illa vnio actu non existit actu simpliciter non vnit, ac proinde propter eandem causam simpliciter non est vnio; nam si simpliciter esset talis, simpliciter vniret, & simpliciter constitueret effectum proprium formalem primarium, quia forma simpliciter talis in aliquo subiecto capaci effectus formalis necessario tribuit illum: sed per vos vnio quae est in potentia in materia vltimo disposita, est vnio simpliciter in materia: ergo simpliciter vnit materiam, ac proinde simpliciter constituit actu Antichristum: sed hoc est falsum: ergo euidenter sequitur vnionem in potentia non esse vnionem simpliciter; statim autem quo produceretur talis vnio, & existeret in materia vltimo disposita, esset simpliciter vnio, & simpliciter vniret materiam cum forma, & Antichristus simpliciter esset, & simpliciter viueret: ergo existentia vnionis constituit ipsam in esse vnionis simpliciter, & existentia Antichristi constituit ipsum in esse Antichristi simpliciter.

146 Confirmatur, quia vel existentia, & essentia sunt duo entia distincta simpliciter, vel vnium tantum; si hoc secundum dicatur, essentia constituitur in esse entis simpliciter per existentiam vt non distinctam a se, & non econtra; quia existentia est actualitas simpliciter ac per consequens ens simpliciter; si vero duo entia simpliciter: ergo sunt duae rationes existentes; vnde essentia ex se ipsa erit existentia ac proinde essentia, quatenus distinguitur ab existentia, erit existens, quia nihil est ens simpliciter nisi actu existens, sed essentia vt praecisa ab existentia est

ens simpliciter: ergo superfluit existentia illa distincta ab essentia.

147 Vrgetur amplius, quia praedicata quae conueniunt rei in potentia seu possibiliter, non conueniunt simpliciter, sed secundum quid, sed essentia hominis antequam existat conuenit homini in potentia tantum: ergo illi conuenit secundum quid, & non absolute, post existentiam autem conuenit illi simpliciter essentia hominis: ergo existentia constituit hominem in esse hominis simpliciter, sed homo vt homo, est ens: ergo ens vt ens constituitur in esse simpliciter per existentiam.

148 Dices ens simpliciter vsurpari pro ente in potentia vt opponitur chymerae, ens enim nominaliter sumptum significat res abstractas ab existentia; participialiter autem significat easdem existentes siue entia actu.

Sed contra manifeste; quia Diuus Thomas & Arist. vt patet ex locis supra citatis ex negatione entis participialiter inferunt ens nominaliter non esse simpliciter ens, sed ens secundum quid, & in potentia tantum; imo Anselmus vocat id quod non est ens participialiter nihil, in monologio, cap. 8. his verbis. Hoc igitur modo non inconuenienter intelligi potest si dicitur creatrix essentia vniuersa fecisse de nihilo, siue quod vniuersa per illa facta sunt de nihilo, id est quae prius nihil erant, nunc sunt aliquid, vbi ex negatione entis existentis seu participialis inferunt Anselmus negationem entis simpliciter, asserendo ea quae actu non sunt nihil esse, ac proinde posse creari faciendo quod actu sunt, quae antea nihil erant, tribuendo per productionem actualem existentiam per quam reddantur entia simpliciter, quae antea non erant talia, etiam si essent entia in potentia; vel ergo Arist. D. Thomas & Ansel. inferunt de omni enti simpliciter etiam nominaliter, & sic habeo intentum; aut inferunt negationem entis simpliciter participialiter tantum: hoc autem est ridiculum, quia redderet hunc sensum ens non existens, non est ens simpliciter (id est existens) quia non est existens: igitur quia non est ens in actu existens & participiale, inferunt negationem entis simpliciter, & absolute.

149 Praecipue, quia vt ens differat a chymera non est opus vt sit ens simpliciter, sed sufficit esse secundum quid, & in potentia, sic Arist. q. metaphysica, distinguit inter non entia, vnium non ens, ab alio non ente; quia alterum potest, alterum vero non potest existere; nam chymera est repugnantia, & impossibilitas, seu impotentia ad existendum, & ens possibile est potentia non repugnantia, & aptitudo intrinseca vt sit, potentia autem & impotentia, aptitudo & ineptitudo, repugnantia & non repugnantia ad existendum opponuntur: ergo ad absolutam oppositionem cum chymera non requiritur ens simpliciter sed in potentia.

Dices ens simpliciter impositum esse ad declarandum ens tam actuale quam possibile, sicut hominem ad viuum, & ad mortuum, bene (vt aduertit Hurt.) etiam haec vox Deus absolute, & simpliciter potuit imponi ad significanda idola, si praecise attenditur potentia pro libito imponendi voces, vnde multa argumenta infringuntur reuocatione controuersiarum ad nominum impositiones, nam & Deus potuit significari hac voce creatura, & creatura potuit significari hac voce Deus, sicut idolum hac voce Trinitas, at sumpta voce absolute vt capitur a Philosophis, vt opponitur voci secundum quid, non potuit homo pictus dici homo simpliciter, nec ens possibile absolute ac simpliciter ens, quia pictus, &

possibile sunt addita diminuentia, quæ significant idē quod secundum quid, quod opponitur significato huius vocis simpliciter: ne tamen significationi hæreamus, sed difficultati, dico intra significatum huius vocis & similitudinem ens in potentia, ens in actu esse valde analogum, & ens in actu ita differre in conceptu significato ab ente in potentia, ut solum ens in actu iure sit ens & alterum non ens, & ab utroque non posse abstrahi unum conceptum entis proprii magis quam ab homine picto & viuo, quia homo possibilis sub illa ratione est negatio, & homo actualis sub illa ratione est positivus, sed à positivo & negatio minus potest abstrahi conceptus hominis vel entis quam à picto & viuo: ergo: quemadmodum enim hominem absolute intelligimus principium discurrendi, & quia pictus homo caret hoc principio vere, ideo non est nisi secundum quid homo, ita cum existentia sit ratio ens absolute, & quia ens in potentia caret ea existentia exercita, ideo est ens secundum quid; nam ipsa carentia existentie est non ens simpliciter, unde multi Doctores asserunt obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ excludi à numero entium: at obiecta illa sunt ipsæ rerum possibilitum essentia: quia illa scientia non terminatur ad negationes existentiarum, imo ad has terminatur, ut ipsi inquirunt scientia visionis, quia negatio pertinet ad effectus existentes, quia supponit voluntatem efficacem Dei de non producendo obiecto, quam voluntatem sequitur scientia visionis, itaque certissimum iudicio rem simpliciter constitui in esse talis per existentiam, sine qua res non est simpliciter talis, sed secundum quid.

¹⁵² Quod sic patet, quia implicat eidem voluntati odium & amorem convenire simul simpliciter respectu eiusdem obiecti, sicut intellectui implicat simul convenire assensum, & dissensum, affirmationem, & negationem simpliciter respectu eiusdem obiecti, v. g. non potest idem intellectus simul affirmare & negare de Deo, quod sit trinus & unus simpliciter, atque eidem voluntati simul conveniunt in potentia seu possibiles amor & odium: affirmatio, & negatio intellectui possibiles: ergo odium & amor, affirmatio & negatio in potentia seu possibiles non sunt simpliciter, sed si existerent affirmatio & negatio essent simpliciter tales: ergo per existentiam constituitur res in esse simpliciter, & sic non possunt eidem intellectui simul respectu eiusdem obiecti convenire affirmatio & negatio actualiter existentes. Minor prima est certa, quia omnia possibilia secundum possibilitates sunt simul & non successivæ quæ à se sunt possibiles; unde ab æterno omnia sunt possibilia; item affirmatio & negatio possibiles possibiliter conveniunt intellectui, unde possibilitas talis convenientiæ etiam actu est possibilis, quia in potentia intellectus continentur nunc virtualiter affirmatio, & negatio: maior est certissima ex summis, quia duæ propositiones contradictoriæ non possunt simpliciter eidem respectu eiusdem convenire; sed affirmatio & negatio existentes sunt duæ propositiones contradictoriæ: ergo affirmatio & negatio existentes & simpliciter tales non possunt simul convenire eidem intellectui.

¹⁵³ Dices affirmationem & negationem in oppositione pendere ab existentia quæ carent, dum sunt in potentia: opponi enim sonat actum, sed contra, quia existentia non est ratio formalis in tua sententia ob quam actus opponuntur, tota enim oppositio consistit formaliter in affirmatione & negatione; existentia autem non est affirmatio nec negatio: ergo

antequam habeant existentiam habent totam essentiam oppositionis & oppositionem totam, sed oppositio in potentia est per te simpliciter oppositio: ergo illi actus, ut sunt in potentia, opponuntur, vel non sunt simpliciter actus: unde si sunt simpliciter actus, simpliciter opponuntur ante existentiam, quia adveniente existentia non advenit aliquid spectans ad essentiam oppositionis simpliciter, nec fit de novo ens aut oppositio simpliciter & repugnantia: ergo ante existentiam erat tota oppositio simpliciter: imo idem dici potest in tua sententia de actione & vniōne: & sic ab æterno erant vnitæ partes, quia illæ ab æterno sunt simpliciter partes, & earum vniō ab æterno est simpliciter vniō, cuius essentia est vniō, sicut essentia hominis esse animal: ergo partes ab æterno sunt vnitæ simpliciter, quia ab æterno est vniō simpliciter, quia vniō est vniō, & ab æterno est vniō simpliciter: unde totus homo simpliciter est ab æterno & simpliciter vivit, quia vita eius simpliciter datur ab æterno, quia datur ab æterno vivere simpliciter, quia datur essentia vivere ab æterno: sed hæc sunt summa absurda, quia quando homo motus in tempore, etiam ab æterno sit possibilis homo, ac per consequens sit possibilis vita hominis, & vniō inter partes illius, nihilominus quia actu destruitur vniō inter partes illius, & actu non habet vitam, dicimus hominem non esse simpliciter, nec simpliciter vivere, neque absolute habere partes vnitæ, alias viveret & non viveret simpliciter simul, haberet & non haberet simpliciter partes vnitæ: igitur esse aliquid in potentia & non in actu non est simpliciter esse tale; sed esse actu est per existentiam: ergo per existentiam constituitur res in esse simpliciter, quæ ablata manet in esse tantum secundum quid.

SVBSECTIO VIII.

In qua tertium principale argumentum ponitur.

¹⁵⁴ Quia si essentia creata à parte rei distingueretur ab existentia, essentia compararetur à parte rei ad suam existentiam, vel ut potentia passiva ad actum realem; vel ut subiectum ad actum modalem, per quem perficeretur: atqui neutro modo comparari potest essentia ad suam existentiam: ergo essentia à parte rei non distinguitur à sua existentia: maior admittere necessario ab aduersariis, quia posita illa distinctione ex necessitate inter illa extrema, intervenire deberet aliqua habitudo inter ipsa, cum non se haberent disparatæ: atqui non alia habitudo potest dari quam habitudo modi ad subiectum vel actus reali ad potentiam, quia esset in ordine ad perficiendam essentiam, conferendo illi suæ actualitatis exercitium, constituendo ipsam per aduentum existentie supra essentiam in esse actualis simpliciter in genere causæ formalis: ergo existentia est actus essentiae, sed omnis actus ex æquate dividitur in modalem & realem: ergo existentia est actus vel modalis, vel realis respectu essentiae, si distinguitur ab ipsa à parte rei, patet hoc, quia omne quod advenit alicui actuando illud cui advenit, est actus illius: sed existentia advenit essentiae actuando essentiam perficiendo ipsam, & constituendo illam formaliter in esse actualis: ergo est actus essentiae, ideo enim anima rationalis est actus materiae primæ, quia advenit illi actuando illam & perficiendo ipsam, actus enim & perfectio sunt idem synonyme et late probavimus supra quæstion. vtrum inter ma-
teriam